CONCIO R.P. MAG. CHRISTOPHORI SANCTOTISII, HISPANI, BURGENSIS, ...

Cristobal Santotis

Digitized by Google

ILLVSTRISS.MO ET REVEREN.MO

D. D. ANTONIO PERENOTO,

CARDINALI GRANVELLANO,

Archiepiſcopo Machlinienſi,

F. Chriſtophorus Sanctotiſius, Auguſtinianus,
ſacræ Theologiæ profeſſor,
S. P. D.

LEx lata erat Iſraëlitis Cardinalis ampliſſime, ut & hi qui prælium inibant, & qui aſſeruandis ſarcinis erant præpoſiti; ſpolia æquis inter ſe portionibus, diuiderent. quæ ut iuſta, ita etiam perpetuo obſeruari debet. Contentionis atque certaminis inter eccleſiæ Romanæ hoſtes, & catholicos iam ab aliquot annis eſt non minimum, cui ut finis aliquando imponeretur, Tridentinus hic tot Epiſcoporum & ſacratorum uirorum ampliſſimus conſeſſus tanquam prælio committendo aptiſſimus, eſt deſtinatus. Ad quem cum undequaque ex omnibus Chriſtiani orbis prouinciis confluxerint uiri, doctrina & pietate inſignes, miratus ſum ſæpe numero, cur ex Gallia Belgica, quæ pijs eruditisq́; ingenijs abundat maximè, nulli, (quamuis de illorum aduentu

rumor increbuerit) adhuc aduenerint. Mihiq; id ſæpe animo reuoluenti, cum multa in mentem uenirent, quæ ſcrupulum propemodum omnem eximere poſſe uiderentur: hanc tamen præcipuam eſſe cauſam, ſum arbitratus, quòd non minus ab interno, & domeſtico, quam externo, & peregrino hoſte (ut tu qui illius gubernandæ prouinciæ clauum tenes optimè nouiſti) ſit uerendum. Deinde quod non minoris eſſe uirtutis, parta conſeruare, quàm deperdita recuperare, ut quæ in ancipiti fortunæ ſtatu uerſentur, ſalubri Reip. cõſilio, maturoq; iudicio, exiſtimaueris. Non enim iam hæretici cupidine ueritatis agnoſcendæ, ſed ſtimulis libertatis nefariæ inflammati, occupandis inuadendisq; eccleſiæ bonis occupati, non ſolum negare matrem eccleſiam, ſed & in eius uiſcera crudele ferrum ſtringere non dubitant. Atque eo inſaniæ & impudentiæ prouectos eſſe (proh dolor) animaduertimus, ut niſi eorum immoderatæ libidini, maturè occurſum fuerit, de loco, quo ſe catholici recipiant ab illorum incurſionibus libero, magnopere ſit metuendum. Cum in ſacroſanctis Oecumenicisq; concilijs tantæ tempeſtatis ſedandæ remedium ſaluberrimum ſit conſtitutum; in quibus catholica dogmata ſtabiliuntur, & corroborantur, falſa & erronea eijciuntur: abuſus homi-

num prauitate, aut negligentia, inuecti tolluntur: ut eccleſia priſtinum illum ſplendorem tandem aſpicere poſsit: quia tamen noſtri temporis hæretici priſcos illos longo interuallo, malitia, & improbitate animi ſuperant, adſciſcendum eſſe aliunde ſubſidiarium remedium exiſtimauerim. Quid autem inter priſcæ illius ætatis, & noſtræ hæreticos, interſit, facile perſpici poteſt. Illi mentis occæcatione errores ſuos propagarunt, ita ut nihil in illis præter craſſas intellectus tenebras animaduertamus: Hi uero non modo intellectum deprauatum, ſed & animum in Eccleſiam odio internecino plané exulceratum habent. Hinc nullum non mouent lapidem, ut quiduis potius, quam eccleſiaſticæ diſciplinæ eneruandæ, & funditus euertendæ, occaſionem ullam prætermittant. Si itaque pro re nata, pro hominum condicione, pro rerum temporúmque uiciſsitudinibus, remedia uaria applicari debeant: uulnera non medicamentis (quæ eſt præpoſtera medicandi ratio) ſed uulneribus medicamenta erunt accommodanda. Olim é Concilijs præſentaneum (ut dixi) remedium petebatur, nunc uero, (nihil enim ad ægritudinem depellendam, magis obeſt quam integræ ualetudinis perſuaſio) reijcitur & contemnitur. Si igitur œcumenicis illis Concilijs, tot tantiſq; ampliſsimis &

ſuſcipiant

Sanctiſsimis uiris in unum coactis atque Spiritus Sancti præſentia conſignatis, nullam fidem adhibent: quid per Deum immortalem ſpei erit, ut repudiata omni animi peruicacia, huius Concilij decreta ſuſpicant ac uenerentur? Erunt ne propenſiores in hoc, quam quæ priſcis illis temporibus ſunt habita? Minime gentium, Niſi Deus pro ſua benignitate ex eorum animis tenebras diſpellat. Quid ergo expectamus? Quid ignauia obtorpeſcimus? Quid complicatis manibus uaſtationes, exuſtiones, & euerſiones, ab aduerſarijs illatas aſpicimus, & in illis conniuemus? quid non extremis morbis, extrema remedia adhibemus? At dices. Reges & Principes, eius eſſe animi, ut etiam gladio, ſi aliter fieri non poſsit, quicquid Concilium ſtatuerit tueri uelint. Scio, atque illorum in Religionem animum amplector, ſed tamen quemadmodum de antiquis, & apud priſcos celebratis, & de hoc etiam debebat eſſe apud eos par ratio, par ſtudium pietatis. Atque ſi unquam Principes defenſioni religionis Chriſtianæ deditos eſſe decuit, ac zelo pietatis inflammatos, hiſce deploratiſsimis temporibus, quibus catholici ab hæreticis incrudeſcente in dies rabie, nouis exquiſitiſque tormentis excarnificantur, non decuit modo, ſed & maxime oportuit. Etenim cum uindices re-

ligionis à Deo ſint inſtituti nihil eis integritate religionis potius eſſe debebat. In hoc unum neruos omnes intendere, atque adeo conſilium omne collocare, ut copijs undique collectis, tantis Eccleſiæ malis, quo ad eius fieri poſſet. obuiam iretur, ne tandem uenenata hac ſerpigine, reliquæ Prouinciæ inficiantur, & contaminentur. Si uero de aliqua uerendum eſt, de Gallia Belgica, quæ undique externis, atque utinam non internis, urgetur hoſtibus, quam maxime. Vt taceam interim, impunitatem (iuſta fortaſſe cauſa) in ijs rebus, quæ ſi uel minima ſit, in maximo diſcrimine integras regiones, conijcere ſolet. Et niſi diuino primum auxilio deinde ſingulari ſapientia, prudentia, atque in rebus agendis dexteritate tua, quibus ita præfulges, ut omnium, non modo ſis admirationi, uerum & inuidiæ expoſitus tanta peſtis ab illius ceruicibus auerſa eſſet, iampridem dilecta, Domini Sabaoth uinea, ibidem ſata; uaſtata, conuulſa, &, euerſa conſpiceretur. Cum igitur à Deo Opt. Max. *illius Prouinciæ gubernaculis ſis admotus, in hoc maxime fide pari coniunctam prudentia, patefeciſti tuam, quod in ſtatione excubias agere, quam te, cæteriſque orbatam, in periculo deſerere, malueris. Tibi proinde æqua gloriæ portio cum his qui ad certamen conuenere, re-*

licta eſt. Ne autem parte uel minima earum rerum; quarum qui hic degunt participes facti ſunt, priueris: En Cardinalis ampliſſime ad te mitto, orationem ad Sanctam Synodum à me habitam, quam niſi patrum quorundam precibus uictus, ut in lucem ederem, nunquam equidem induci potuiſſem. Munuſculum eſt (ut ille ait) Leuidenſe; ſed ab animo ob ingentia in me beneficia tua, tibi addictiſſimo profectum. Quod ſi quale quale eſt, tibi probatum iri cognouero, ad maiora animum addes, quæ otium nactus aliquando ſub tuo nomine in lucem edam. Tridenti 12. Kal. Aprilis 1563.

CONCIO R. P. MAGISTRI CHRISTOPHORI SANCTOTISII, HISPANI, BVRGENSIS, Ordinis Eremitarum Diui Auguſtini.

De ſignis ueræ Eccleſiæ agnoſcendæ.

Habita ad Sacroſanctam Oecumenicam Synodum Tridentinam. Dominica tertia Quadrageſimæ M D LXIII.

QVOTIES mecum tacitus huius noſtri ſeculi calamitoſa tempora recolo, Illuſtriſsimi ſedis Apoſtolicæ Legati, Oratores clariſsimi, animarum Paſtores uigilantiſsimi: quoties ſerpentis antiqui aſpectum pernicioſum, uirulentumq; afflatum, quo uniuerſas penè Chriſtiani orbis Prouincias infecit, perpendo; uidere uideor illorum temporum miſerrimam faciem, quibus ante fœliciſsimum Chriſti aduentum, immanis ille totius humanæ naturæ hoſtis, atque inimicus, totum orbem per tyrannidem inuaſerat; mortuam rediuiuam apparere. Videre, inquam, ui-

Apoc.11.c. deor ipſum inimicum acriter ſæuientem, atq; eo acrius, quo eſt citius tyrannicum eius imperium, noſtris ceruicibus excutiendum. Quis non animaduertat, calamitates, cædes, & clades, quibus uniuerſum orbem inuoluit? quis non conſideret nullum penè orbis tractum eſſe, in quo non Sinon incendia iactet? in quo non omnia uerſa, labefactata, & propemodum extincta ſint? omnia penè diuina humanaq; iura ſublata, pietas exploſa, religio commaculata, ſacramenta conuulſa, Eccleſiæ ſanctiſsimi Paſtores, non eiecti, ſed trucidati; templa auguſtiſsima, Aræq; ſacratisſimæ, non dirutæ, ſed ſanguine madentes, ſpectantur. Et quod omnium eſt longè grauisſimum, tot animarum deplorandam adeo euaſtationem, quis non uberrimis lachrimis proſequatur? Quis ſi tempora temporibus conferat, non iudicet hæc noſtra, perinde lugenda atque illa quibus tyrannus per totum terrarum orbem, longè latèque dominabatur? Verum ſicut Patres illi priſci, ea unica exſpectatione, damna omnia leuius ferebant, quod breui adfuturum ſperarent diri tyranni uindicem, atque ultorem Chriſtum: ita etiam orbis, qui dæmonis tyrannidem experitur, (quæ

nouis

nouis quotidie acceſsionibus augetur, atque inualeſcit) in hoc tamen uno ſpem omnem de fixit ſuam, cogendam nimirum fore aliquando Sacroſanctam Oecumenicamq; Synodum, cuius inſuperabili uirtute ac potentia, uniuerſa demonum ſtratagemata, atque hæreticorum machinamenta, ſuperanda & euertenda eſſent. Quod tanto deſiderio efflagitabant omnes, quod unum ad teterrimam peſtem, per totum terrarum orbem peruagatam ſupererat remedium, id primum Diuino conſilio, Deinde Sanctiſs. Pontificis Pij IIII. pietate, ſtudio, ac diligentia, ultro oblatum eſt. Affulſit iam tempus illud diu à nobis exoptatum, quo diuino præſidio ac ueſtro Sanctiſs. Patres ſtudio, & diligentia, hoſtes deuincentur, Dæmones expellentur, ſciſſaque dogmata reſarcientur. Sicut namque Chriſtus humanam induens naturam Tyrannum ſuperauit, ac de eo glorioſiſsimam uictoriam, triumphumque præclarum reportauit: pari quoque modo ſponſa ipſius Eccleſia in unum congregata, dæmonum uiribus ſuperatis, hæreticorumque dogmatibus eiectis, triumphum præclarum, nobiſque ſumme neceſſarium relatura eſt. Qua de re Patres Sanctiſsimi, duo in

hac oratione dicenda ſuſcepi. Principio dæmonis in ſtabilienda ſua Eccleſia, ſummum ſtudium oſtendam. Secundo, quatuor ſigna primaria, quibus uera à falſa, legitima ab adulterina internoſcenda eſt Eccleſia, ex ipſius hodierni Euangelij contextu deprompta, ob oculos ponemus. Vos Patres ampliſsimi, pro humanitate ueſtra quæ ſumma eſt, oro atque obteſtor, ut me dum hæc perſequor, benignè & attente audiatis. futurum ſpero, ut hac humanitate recreatus, ſuſcepti muneris magnitudini, cui me imparem agnoſco, aliqua ex parte ſatisfaciam.

Cum ab orbe condito, ſerpentis antiqui ſtudium id fuerit, ut nouum ſibi populum, nouum Regnum, nouamque Eccleſiam erigeret, atque exædificaret: ubi Princeps ſceptrum, & clauum tenens, edicta obſeruanda daret: ac tanquam orbis ſupremus Imperator, debitum ſibi tributum ab omnibus acciperet: denique uti Deo, ſummum honorem, & cultum, cuncti mortales, immortaleſque, impenderent: nihil eorum quæ ad diuinos pertinere poſſent honores, omiſit. Intuitus fuerat initio Deum, thronum, ſoliumque illud ſupremum occupantem; unde nimium ſibi indulgens, ac luce pro-

ce propria delectatus, in Dei neglectum pro-
lapſus eſt; thronumque ſuum ſuper aſtra lo-
candum, & diuinum ſibi honorem, decernen-
dum cupiuit. Aſcendam, inquit, in cœlum, Iſa. 14.d.
& ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, &
ſimilis ero altiſsimo. Sed falſus opinione ſua,
(neque enim in cœlo inexhauſtæ, effrenatæq́;
ipſius ambitioni locus erat) alia uia terra-
rum orbem aggreſſus eſt. Probe nouerat Prin
ceps ille tenebrarum, hominem humo à Deo
excitatum, maximis beneficijs ornatum, ut
quamuis graui illa corporis mole conſtaret:
in cœlitum numerum, ſi diuinæ legi obtempe-
raret, adſcriberetur. Ne itaque in eius locum
ſurrogaretur, quo ſe deiectum ſciebat, inter-
necinum in hominem exercens odium, illius
interimendi, ac funditus euertendi, conſilium
cœpit. Vt quem Deus præcepto propoſito in
officio continere ſtatuerat, in ſua caſtra in-
obedientia perſuaſa, pertraheret. Vidit Deum
leges impoſuiſſe, leges & ipſe tulit: ſacrificijs
coli, & placari ſolere, ipſe ſibi cultores inue-
nit qui teterrimas etiam crudelitatis cæremo-
nias edere non dubitarent: ita ut frequentiſsi
me humano ſanguine aras imbuerent. Rho-
dij, qui propter doctrinam, in Mineruæ tutela

eſſe credebantur, hominem Saturno ſacris anniuerſariis immolabant. Et Græci fermè omnes piaculum credebant, ſi antequam in aciem prodirent, non humana cæde aras atque templa funeſtarent. Romani licet raro, aliquando tamen humanis hoſtijs, Deos placandos eſſe ſtatuebant. Vt hic Scythicam illam Dianam, nunquam crudelitate ſatiatam, & alia ſæua numina prætermittam: Satis conſtat Pheniciæ Principes in magnis Reipublicæ calamitatibus, ſolere unum ex liberis quem haberent chariſsimum, ut hoſtiam iugulare. In Syria parentes omni pietate repudiata liberos ſuos igni conſecrabant. Sed quid moror recenſendo ea ſacra, quæ dæmonum impulſu in cæde, & ſanguine uerſabantur, cum Hiſtoriæ pœne nihil præter nefaria ſacrificia ſonent. Agnouit item Sathan Deum per Angelos, & Prophetas gentes ſæpe allocutum, quibus internuncijs de ipſius uoluntatate fierent certiores, ipſe ſimiliter per idola reſponſa dedit. Atq; hoc quidem nomine in multis orbis partibus celeberrima Deorum templa, (quæ recenſere longum eſſet) erexit, quo fere omnes certatim ut ad præſentiſsimnm numen confugiebant. Colebantur & in maxima ueneratione

ne

ne habebantur Vates, ac diuinatores, quibus hæc arcana communicari credebant. Erat apud gentes celebre quoddam hominum genus, ob hanc ipſam cum Dijs immortalibus conſuetudinem. Apud Gallos Druydæ, apud Chaldæos Magi, apud Indos Brachmanes, qui omnes mendaciorum magiſtri, ad uaniſsimum quodque, adeoque impuriſsimum ſuperſtitionis genus eas excitabant, & hortabantur. Huiuſmodi prophetas illis demandauit, qui ſuam Eccleſiam propagarent.

Sed ne externa Gentilium Barbararumq; nationum referendo ſermonem protrahamus, ad artes quas Sathan hoc infœliciſsimo æuo exercet, attingendo potius, quam explicando reliquum orationis decurſum, conuertamus. Nouum ſapientia diuina Eccleſiæ reſtaurandæ modum excogitarat, ut ueniente filio Dei quem caput ſuper omnem Eccleſiam conſtitutum teſtatur Paulus, ea unitate illam ſibi copularet, qua præclaro affecti beneficio, filii Dei, & nominarentur, & eſſent. Quamuis ſint diuerſæ nationes, ſanguine diſiunctæ, conditione diſpares, locis ſegregatæ, ac longè inter ſeſe diſsitæ: poſteaquam tamen in unitate fidei congregatæ ſunt, ut ſub Chriſto Impe- Ephe. 1. d. 1. Ioa 3. a.

ratore militent, omnes repente eo agnatio-
nis, & propinquitatis uinculo aſtringuntur, ut
ad quendam diuinitatis gradum, atque ampli-
tudinem, quo immortalem Deum, patrem no
minare poſsint, accedant. Quis oratione
tantum beneficium complecti, aut mente con-
cipere poterit? Quis agnationem filiorum
Dei, ab ipſo filio partam, ſuoque ſanguine
conteſtatam, & à patre ſupremo conſignatam
diſſoluere audebit? At ueterator ille Eccle-
ſiæ Dei oppugnator, nouum hunc Eccleſiæ
reparandæ modum conſiderans: noua & ipſe
ſtratagemata, commentatus eſt, quibus Dei
Eccleſiam quoad eius fieri poſſet, uaſtaret,
atque erueret: ſuamq; maioribus incremen-
tis reficeret, & inſtauraret. Omiſſas facia-
mus barbaras nationes, maiorem partem or-
bis occupantes, quas dilatato imperio tyran
nus poſsidet, acgubernat. Omittamus quo-
que peccatorum miriades, quas ipſe in Eccle-
ſiæ caſtris fouet, & alit. Videamus tamen,
quibus artibus in hoc Chriſtianitatis angulo,
ſuum dilatauerit imperium. Si conferamus
caput capiti, propagandi modum, propaga-
tionis ſtudio, incrementa noſtræ, incrementis
ipſius: quid non inuenire licet eorum quæ in
catholica

catholica geſta ſunt Eccleſia, ab ipſo Satha-
na effigiatum, atque expreſſum? Adeo qui-
dem, ut quamplurimi ueritatis ſimilitudine
deluſi, in fœdiſsimam errorum ſentinam
miſere prolapſi fuerint. Animum aduerti-
te Patres, modum ſtupendum, (miraculum
potius dixerim) haud ſatis pro dignitate ce-
lebratum: quo Deus uniuerſum orbem ad
ſuam fidem uocauit. Non ut tantæ molis
& magnitudinis opus fabricaret, magiſtros
omni diſciplinarum genere inſtructos, adſci-
uit: ſed duodecim ignobiles, indoctos, non
humanæ ſapientiæ uerbis inflatos, ſed Spiri-
tu Sancto afflatos: non armis corporeis mu-
nitos, ſed uerbi Dei gladio armatos: non
copijs undique ære collectis, ſed nudos, de-
ſpectos, omnique humano deſtitutos præſi-
dio. Atque hi quidem tanto animi robore
orbem aggreſsi ſunt: ut breui pæne totum
Chriſti fide compleuerint. Adeo ſanè ut de
dæmonibus, de Deorum ſtatuis, de ipſis Prin-
cipibus atque ſummis Philoſophis mundi do-
ctoribus parta uictoria: nihil præter Chriſtum,
& hunc crucifixum: aut audiretur, aut cole-
retur. Et ut hanc fidem perpetuo conteſta-
tam nobis relinquerent, non dubitarunt ſeſe

in cædem, & flammam ultro & libenter obijcere. Tyranni cruciatus, uerbera, cruces, uncos, & inaudita tormentorum genera, necem denique eis conſtituebant: quo ſanctiſsimæ religionis memoriam, ex eorum, & omnium animis delerent: nullis tamen neque minis, neque terroribus, nec exquiſitiſsimis ſupplicijs, Chriſtiana uirtus frangi, aut debilitari potuit. Cumque terrores, atque adeo tormenta deficerent: illi tamen Heroes inuicti, in eadem ſemper mentis conſtantia permanſerunt. O uirtus animi eximia. O charitas quauis firma acie inſuperabilior. Quid iam magnificentius dici, aut animo concipi poteſt? Non modo primorum fundatorum ſanguine, præclarum hoc Eccleſiæ ſemen irrigatum excreuit: uerum in dies altius radices agens, martyrum ſanguine profuſo, ita eſt corroboratum: ut nullo quantumuis ualidiſsimo tempeſtatis impetu concuſſum, commoueri aut agitari poſſe uideretur. Verum enimuero Sathan hac unica arte, Eccleſiam ſuam deletam, ſua templa, araſque deiectas, & iam Saturni, Iouis, Martis, cæterorumque Deorum ſtatuas proſtratas animaduertens, ſuam tyrannidem excuſſam, fallaciam patefactam, ſuperbiam compreſſam,

preſſam, ſuas deniq; uires propemodum confractas: non tamen ob id animum deſpondens, aut ab inſtituto ſemelque concepta nequitia, deſiſtens, nouos & ipſe ſibi Apoſtolos inſtituens, per uniuerſum orbem demandauit: ut Chriſti fidem abolendam, ſuoſque errores inſerendos, ſumma animi contentione curarent. Quid quæſo ſunt aliud nouorum dogmatum aſſertores, quam Pſeudoapoſtoli? teſtatur id uas electionis Paulus, cum inquit: Huiuſmodi Pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. & non mirum: ipſe enim Sathanas transfigurat ſe in angelum lucis, non eſt ergo, inquit, magnum: ſi miniſtri eius transfigurentur uelut miniſtri iuſtitiæ, quorum finis erit ſecundum opera ipſorum. Quis quæſo tantæ erit audaciæ, ne dicam dementiæ: ut in apoſtolum Chriſti ſeſe audeat transfigurare? Hæreticus. Et qui ſe poterit transfigurare? Dæmonis arte inſtructus. Quo autem pacto: audite. Apoſtoli ſpiritu diuino afflati, nihil aut docebant, aut faciebant, quod non Spiritus Sancti magiſterium ſpiraret: (non enim ipſi erant, qui loquebantur, ſed ſpiritus ille ſacer, qui per eos uerba fundebat)

2. Cor. 11. c.

Math. 10. c.

Hæretici autem, à dæmone obſeſsi, phanatico quodam ſpiritu agitati, noua dogmata ab ipſo dæmone potius, quam à ſe excogitata, paſſim effutiunt: quibus Sathan per eos uerba facere, facile intelligi poteſt. Apoſtoli diuinæ legis exemplis, teſtimonijſque adductis, quam ipſi docebant ueritatem, teſtificabantur. Pſeudo uero Apoſtoli, quid non è ſcripturis proferunt, quid non rimantur, quid non perluſtrant? Videas illos ad ſingula quæque dogmata conſtituenda, nunc apud ſuos, nunc apud exteros: nunc priuatim, nunc publicè: nunc in concionibus, aliquando uero libris editis, nunc in compotationibus, quandoque autem in priuatis colloquijs: per ſacræ legis uolumina, uolitare. Sed nihil unquam proprio marte proferunt, quod non etiam ſcripturæ uerbis detortis, laceratis ac planè mutilis, impuriſsimi iſti adumbrare conentur. Atque in libris editis (quibus iſti mendaciorum confarcinatores totum propemodum compleuere orbem) quæ uel minima pagina reperiri poteſt, quæ non noui, & ueteris teſtamenti ſententijs à uero ſenſu detortis, fucata & colorata ſit. Huiuſmodi eſt eorum ſtudium. Sciunt namque grauem illum, quem eorum

ſcripta

ſcripta exhalant halitum, nemini emunctæ na-
ris placere poſſe, niſi cœleſti eloquio ueluti
aromate quodam condiatur. Ne qui huma-
num facile deprehendere errorem poſſunt, di-
uino oraculo delinitum, internoſcant. Hos Ser
uator omni ſtudio cauendos præceperat: At- Math.7.b.
tendite, inquit, à falſis prophetis, qui ueniunt
ad uos in ueſtimentis ouium, intrinſecus au-
tem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum co-
gnoſcetis eos. Qui ſunt quæſo, hi falſi pro-
phetæ, quam Pſeudoapoſtoli: qui iiſdem ueſti-
bus quibus manſuetiſsimæ Chriſti oues indu-
ti, uniuerſum Eccleſiæ gregem intrepidum,
atque ſecurum reddunt. Verum (proh do-
lor) Lupi feri & rabidi caulas Eccleſiæ ſemper
infeſtantes, & gregem Chriſti crudeliter la-
cerantes ſunt: qui diuinæ legis ſententiis, ue-
lut quibuſdam uelleribus obuoluuntur, ut qui
lanæ molliciem perſenſerint, dentium fero-
ciam nequaquam pertimeſcant. Quid am-
plius. Sicut ueri Apoſtoli in atteſtationem fi-
dei, quam per orbem diſſeminabant, non mo-
do contumelias alacri, infractoque animo per-
ferebant, uerum ultro ſeſe tormentis obiicie-
bant: ſic etiam Pſeudoapoſtoli operarii ſubdo
li, carceres, uerbera, cruciatus, mortem de-

nique ipſam imperterrito adeo, atque obſtinato animo perferre ſolent: ut eos naturam ipſam uincere, ac ſuperare dicas. flammis etenim libenter ſe tradunt, cruces atque ſuſpendia amplexantur, in mediis ipſis rogis lætitiam cantu teſtantur. Deus bone, quot ſunt hæreticorum miriades, qui non modo in ferendis uariis tormentorum generibus, ſed in exoptandis ambitioſi uideri uolunt. qui tanquam ſi pro Chriſti fide paterentur, ad cædes ut lautiſsima conuiuia accurrunt. Quis cum
Marc.9.b. ita ſit, illos non iudicet à dæmone obſeſſos, atque miſere exagitatos: qui illos iam in rogos comburendos, nunc in aquas ſuffocandos præcipites agit. Sed qui hoſce Pſeudoapoſtolos internoſcere poterimus? quis Lupos predæ inhiantes non fugiet? Verum ſi lupus cum agno depoſita non modo ferocia, ſed effigie decumbit & paſcitur, quis eum dignoſcere poterit? quis eum cauebit? A fructibus, inquit, eorum cognoſcetis eos, Hos, ego fructus dices agnoſcere facile non poſſum. Catholicæ enim Eccleſiæ Apoſtoli populum ſua doctrina inſtituunt: Pſeudoapoſtoli idem ſtudent. Illi ſcripturarum teſtimoniis, & exemplis auctoritatem conciliant: Iſti non ſecus

auctori-

auctoritatibus undique collectis, quicquid dicunt ſtabilire conantur. Illi ſuo ſanguine ſibi doctrinæque ſuæ immortalem gloriam pepererunt: iſti non aliter proprio ſanguine profuſo, doctrinam ſuis conſignatam relinquunt. Illi non paucos cum excruciarentur, in fide obfirmarunt: Iſti haud pauciores (ne dixerim plures) obſtinatione & pertinacia animi faſcinant. Si ad finem & exitum, ſi ad ea quæ iam oculis patent, aduertamus: quis non uideat Apoſtolorum fructum, quamuis initio in immenſum prope creuerit, adeo quidem: ut unus Paulus à Hieruſalem ad Ilyricum uſque euangelium propagauerit, iam quod non ſine ſummo dolore dici poteſt, tam exili anguſtoque angulo concluſum: uix ut Eccleſiæ, nauiculæ, portus aliquis quietus, & tutus relictus ſit? At Pſeudoapoſtolorum fructus, adeo excreſcunt, atque limites proferunt, ut regna occupent, regioneſque integras poſsideant. Iam Germaniam illam religione quondam & pietate florentem, horum afflatu infectam, atque contaminatam uidemus. Iam Angliam uniuerſam, huius mali participem non ſolum, uerum hæredem non ſine dolore aſpicimus: Iam Chriſtianiſsimam illam Gal-

Ad Ro. 15.

liam ruinam minantem lugemus . Iam uarias nationes (quas dinumerare dolor animi non ſinit) huiuſmodi peſte propemodum confectas lachrimis proſequimur , quæ ea ſunt condicione : ut nec legibus , nec armata hominum manu , nec Regum ſeuera animaduerſione , in diſciplinæ antiquæ confeſsione contineri poſſint . O' dementes nouitatum amatores , quis uos faſcinauit , quis uos à ueritate abduxit : quis uos ueritatis magiſtros quondam , mendaciorum nunc diſcipulos effecit ? Videte pericula , laqueos , ruinas , præcipitia, quæ uobis impuriſsimi ipſi Pſeudoapoſtoli tanto ſtudio parant . Conſiderate cautes , & ſcopulos quibus ſi è tranquillo Eccleſiæ portu ſemel ſoluatis , erit impingendum . Sed ex quibus ergo fructibus eos agnoſcere poterimus ? cum diuina illa oracula non iam proferre tantùm , ſed & explicare cœperint : Deus bone, quam in apertam lucem ſe proferunt fructus . tunc amaritudo illa,& animi peſtis detegitur , tunc nouitium uirus exhalatur , tunc profanæ nouitates aperiuntur : Sepem ſcindi uideas , Patrum terminos transferri, catholicam fidem lædi, Eccleſiaſtica dogmata lacerari, leges humanas atque diuinas confundi , templa , aras ,

ſacramenta , ipſum denique Deum è medio tolli . quaſi uero libertas per Chriſtum parta , ad omne ſcelus , & flagitium aditum nobis pateſaceret . Cum igitur animaduertamus , eos non modo huiuſmodi fructus edidiſſe , ſed & zizania iam uſque adeo excreuiſſe , ut bonum Chriſtianorum ſemen ſuffocatum propemodum ſit : atque tantum uires auxiſſe , ut ui & armorum impetu, reliquum Eccleſiæ angulum aggredi non uereantur: quid miſeri faciemus? quid nobis refugij erit ? quo Eccleſiæ filij , quam in ſinum ueræ matris ſeſe recipient ? Ad te , ad te Sancta Synode , filii in anguſtijs conſtituti , afflicti , atque hoſtium manus fugientes , unicum ſalutis aſylum properant , ut illos à Pſeudoapoſtolis , ab hoſtium incurſu , à Dæmonum acie in ſinum receptos , tuearis . Video te ſancta mater Eccleſia , oculis, inquam, te uideo , apertis ulnis non modo frugi filios amplexantem : uerum etiam obuiam prodigis, ac profligatis moribus filijs prodire , ut tui in eos amoris ſignum , atque monumentum relinquas . Video denique te , non modo amore erga eos qui ad ſaniorem mentem redire uolunt, uti : uerum magna ui , ac robore rebellantes hoſtes opprimere , atque proſternere conari .

Math. 13. d.

Luc. 16. c.

Verum in hoc armorum aduerſus Sathanæ ſtudia conflictu, ut eos ab illius immani iugo ereptos, in libertatem uindices: ipſi Sathanæ milites, ſeu Phariſæi Chriſti uirtuti inſultantes, uires ac poteſtatem tuam nihili faciunt. alij in

Luc. 11. Belzebub principe dæmoniorum eijcere te dæmonia blaſphemant. Quid enim quæſo aliud hæreticorum impudentiſsimæ uoces, ſonant: (ut alia nefanda omittam, quæ recenſere pudet) quam tuam doctrinam, dæmoniorum doctrinam eſſe? alii ſignis è cœlo exhibitis, uirtutem, & poteſtatem tuam probari impudentiſsime cupiunt. Eo iam hæreticorum inſanus furor deuenit, ut ſemper noua ſigna ab Eccleſia efflagitare non uereantur. Verum ut eorum impudentiã infringamus: ſigna quibus uera, à falſa dignoſcitur Eccleſia, ex ipſo euangelii contextu, tanquam ad Lydium lapidem examinantes: in reliquo orationis decurſu oſtẽdamus. Medicus ille cœleſtis animarum peſtes ueritatis cognitionem impedientes, quæ non modo in populo Iudaico graſſabantur: uerum, & in noſtri huius ſeculi homines, irruptionem fecerant, diuina arte curaturus: quatuor ualidiſsimis argumentis non è Platone, aut Ariſtotele, ſed ab ipſa diuina ſapientia depromptis;

promptis; omnem errorem euellere conatus eſt. Quibus ſummam illam poteſtatem, quam aduerſus dæmonum, & hæreſum monſtra Chriſtus Eccleſiæ ſponſus habuit: ad ſponſam Eccleſiam deuolutam eſſe facile oſtendemus. Primum quidem, ab ipſa rerum condicione deſumptum eſt. Vſu namque, & rerum experientia edocemur, unitatem atque concordiam rebus ſtabilitatem, diuturnitatemq; polliceri; diuiſionem uero, & diſcordiam, ſummis rebus ualidiſsimo etiam fundamento ſtabilitis, uaſtationem atque interitum minari. Omne, inquit, regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. O Luc. 11. quam latus nobis dicendi campus aperitur, ſi uelimus ciuitates, regna, imperiaque in medium adferre, quibus popularis diſcordia, ruinam, ac uaſtitatem miſerabilem inuexit. Quis quæſo, in Hiſtoriis uel tenuiter uerſatus, ignorare poterit Athenas, Spartham, Romam, à Principibus conditas, conſtitutas, atque conſeruatas fuiſſe; multitudinis uero diſcordia, uexatas, direptas, & funditus exſciſas? Verum ut ciuiles diſcordias, & contentiones, dominandi cæca ambitione, uel æris poſsidendi inexhauſta cupidine: ſeu plebis ſeditioſa quadam

temeritate exortas ſilentio prætereamus: populorum, atque nationum euerſiones, & euaſtationes, quas circa religionem diſcordiæ inuexerunt breuiter attingemus: ut ex iis diſſenſionum amatores, quam ſibi ſtabilitatem polliceantur, facile perſpiciant. Dicite mihi per Deum immortalem, unde Iudaici populi ruina, unde Hieroſolymorum excidium, quam ex diſſenſione, & ſectarum diuerſitate exordium habuit? Tres erant apud Iudæos ſectarum differentiæ Moyſis, & Prophetarum doctrinæ repugnantes. Phariſæorum uidelicet, Saducæorum & Eſſenorum. Tres iſtæ ſectiones, graues adeo diſſenſiones, & ſciſmata in populo Hieroſolymitano excitarunt: ut Veſpaſiano Cæſari urbis obſidendæ anſam præbuerint, adeo, ut de ſalute propria minus ſolliciti, cum in diuerſa ſcinderentur ſtudia: plus damni à domeſtico, quam ab externo hoſte acceperint. Haud ſecus iam res geritur in Germania, ubi non tres, ut olim in Iudæa, ſed infinitæ ſectæ palam graſſantur: cum alii Lutheri, alii Zuinglii, Anabaptiſtarum alii, alii Caluiniſtarum, Zuenchfeldianorum alii Euangelium, aliaque ſectarum monſtra: uel ipſis etiam nominibus horribilia, amplexentur.

Ioſep. de bello Iudaic lib. 6. cap. 1.

Quid

Quid de te miſera Germania, quid de cæteris Regnis & Prouinciis, quæ huiuſcemodi monſtra aluiſtis, & alitis erit expectandam? uenient exteri, & peregrini hoſtes, qui cum in diuerſa ſtudia ſcinderis, patriis te ſedibus pellant, atque imperio exuant auito. At dices. Cæſaris ui, & præſidio munita, quis audebit noſtros fines attingere? Vereor ſanè idq; uehementer, niſi ad ſaniorem mentem reuertaris, fore: ut Imperium tuis è manibus elabatur. Vnde quæſo Græcia imperium omne, quo antea gloriabatur, amiſit: quam ex hac de religione orta diſſenſione? Ipſi namque cum Romano Pontifici aduerſarentur, caputque uniuerſalis Eccleſiæ eſſe negarent: hinc adeo factum ut factiones, ſciſmata, & hæreſes inter eos exortæ: principes contra Imperatorem, Imperatorem contra, aduerſus Principes armauerint. Hoc pacto Græcorum imperium florentiſsimum, ad immaniſsimum turcam eſt deuolutum. Aliud ne de iis regionibus quæ eodem morbo conflictantur, erit exſpectandum? Minime gentium. Omne namque regnum in ſeipſum diuiſum, deſolabitur: & domus ſupra domum cadet. Si Sathan in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum ip-

ſius ? Si non ſit familia, non domus, in qua non & pater à filio, filius à patre, uxor à marito, maritus ab uxore, opinione diſſentiat: quo pacto ſibi diuturnitatem polliceri poterit? Hæc unica ſalutis ſpes relicta eſt, regnum uidelicet Sathanæ in mille iam ſectas diuiſum eſſe, quod cum ita ſit: corruat neceſſum eſt. Atque regnum Chriſti Eccleſia catholica, cum unum ſit, atque indiuiſum, æternaque pace conſtans: illud perpetuo duraturum, quis dubitat? Portæ inferi non præualebunt aduerſus

Math. 16. c.
Math. 7. d.

illud. eſt namque Eccleſia, domus illa ſupra firmam petram fundata, quæ etſi nouorum dogmatum ualidiſsimis percuſſa fuerit uentis, ſi procellis agitetur errorum: ſi rapida perſecutionum flumina irruant, ſi tempeſtates ueluti agmine facto eam inuadant: ipſa tamen perpetua ſtabilitate conſtabit. Hæc eſt igitur prima agnoſcendæ Eccleſiæ ratio, ſi eam unam, & in unitate perpetuo conſtantem agnouerimus. Verum hæc unitas, & animorum conſenſio in explicanda ueritate, quam probè agnoſcitis: ſumma apud uos Patres Sanctiſsimi eſſe debet. quæ ſi abſit, quantis (proh dolor) nos malis inuoluatis, magna omnium ueſtrum iactura, magnoque dedecore breui experiemini, ni prin

ni. principia enim malorum iam in propatulo ſunt, mortes repentinæ, cædes, uaſtationes, irruptiones in Gallia factæ, ueſtris capitibus minantur. Si uero adſit, erit Eccleſia hæreticis terribilis, ut caſtrorum acies ordinata. Hanc Eccleſiam ſic ordinatam Salomon cõſiderans, atque ſuis quaſi coloribus depingens, ait. Vnica eſt columba mea, una eſt perfecta mea. Quaſi oculis Eccleſias quas Sathan per uniuerſum orbem exſtruxerat, luſtratus fuiſſet, eaſque ob plus quam Babylonicam confuſionem execratus: in laudem catholicæ ob ſingularem conſenſionem prorumpens, dixiſſet: unica eſt columba mea. Vnica, inquam, quia unica fide illuſtrantur filij, ſacramentorum unitate fouentur, unica ſpe ad cœleſtia deſideria eriguntur: unica charitate inuicem coniunguntur, unico ſpiritu ſancto è cœlis miſſo uiuificantur, ad unum eundemque beatitudinis finem omnes adſpirant: atq; ſub uno capite in cœlis inuiſibili, in terris uiſibili continentur. Hæc eſt arca illa Noe, qua qui continentur, ab omni ui tempeſtatis tuti ſunt: extra eam, nemini ſalus unquam contingere poterit. Hæc terra eſt illa labij unius, & ſermonis unius. Hæc domus eſt illa, in qua agnus ille ab origi-

Can.6.

ibi

Gen.6.

Gen. 11. a.

Exod.12. 6a.

ne mundi occiſus, comeditur. Hæc tunica illa inconſutilis eſt, quam ſcindere etiam impijſſimi filij Dei crucifixores piaculum eſſe iudicarunt. Hæc eſt ciuitas illa Sancta Hieruſalem à Deo parata, & ueluti ſponſa ornata monilibus ſuis. qui extra hanc ciuitatem uitam agit, peregrinus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt: neque poterit Deum patrem uerè nominare, qui Eccleſiam pro matre habere recuſat.

Ioan. 19.c.

Apoc. 21.a.

Cyprianus.

At dicetis, ſi hæretici omni animorum contentione ſemota, ea concordia ac pace unirentur, ut labij unius eſſe crederentur: eſſes ne eius ſententiæ, ut illorum Eccleſiam ueram, & catholicam eſſe iudicares? Abſit. Nam ut Eccleſia uere catholica dicatur, & ſit, unitatem, & cum antiquitate conſenſionem habere debet. adeo quidem, ut nihil præter apoſtolorum ſucceſsionem, auctoritatem & doctrinam præ ſe ferat. Chriſtus igitur poteſtatem, et imperium quod in dæmonem exercebat, populo Iudaico patefacturus hoc uſus eſt argumẽto. Si in Belzebub principe dæmoniorum eiicio dæmonia, filii ueſtri in quo eiiciunt? Hi populi Iudaici filii Apoſtoli ſunt, ut pene omnium fert ſententia, qui à Chriſto poteſtate accepta, dæmones effugare poterant. Verum quos Iu-

Vincen. Lyri

daicus

daicus ille populus filios habuit quondam: Ecclesia catholica patres nunc habet, & ueneratur. Atque legitima ſucceſsione, hæreditarioque iure, illorum bona ad eam deuoluta ſunt. In ea namqne Apoſtolorum legitima ſucceſsio ad noſtra uſque tempora, una cum eorum doctrina non modo litteris conſignata, ſed & antiqua conſuetudine obſeruata, perdurat. Hæc eſt, Patres Sanctiſsimi, ueræ agnoſcendæ Eccleſiæ ſecunda ratio. Animaduerto in te Sacroſancta Synode, Eccleſiam illam, quam Ioannes in Apocalypſi, hiſce uerbis deſcribit. Venit ad me unus de ſeptem angelis, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Hierusalem, deſcendentem de cœlo, habentem claritatem Dei, & murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim, nomina duodecim apoſtolorum, & agni. Tu es ciuitas illa ſancta ſuper montem poſita, cuius ſtabilitatem uates ille regius demonſtraturus, dicebat. fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit dominus portas Syon, ſuper omnia tabernacula Iacob. Accedant iam hæretici, & ſuarum Eccleſiarum antiquitatem, ſi poſſunt, à ſtirpe repetant, quod cum nequaquam poſsint: nihil quam ſuam auctoritatem

Apocalypſ. 21.d.

Pſal. 86.a.

obtrudere poſſunt, dicentes: Seſe mundo Apo ſtolos à Deo miſſos: Tu qui audes (cum ab Apoſtolis, & ſanctiſsimis uiris qui ad hæc noſtra ſæcula continuata ſerie peruenerunt iter uiamque nobis in cœlum muniuerunt) alios nobis calles, alias ſemitas, commonſtrare? per quas & breuius, & tutius ad eum locum dicas poſſe perueniri? Qui tu hæc polliceris? Qua es auctoritate uir; qua es grauitate morum; qua doctrina? qua caſtitate uitæ & innocentia, ut tibi noua quædam, & inſolita inducenti, aſſentiri facile, & acquieſcere debeamus? O quam concinne & accommodatè id Diui Hieronymi quod aduerſus Origenis errores conſcripſit, uſurpare poterimus: Tu quiſquis es, inquit, nouorum dogmatum aſſertor, quæſo te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei quæ Apoſtoli uoce laudata eſt, cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod antea neſciuimus? cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Vſque ad hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit: Illam ſenex tenebo fidem, in qua puer natus ſum. Semper enim catholica Eccleſia Apoſtolorum dogmatum tutrix fideliſsima fuit. Quando unquam

quam neceſſaria reſecare, ſuperflua inſerere, propria amittere, aliena uſurpare, uiſa eſt? tantum abeſt ut id fecerit unquam, ut in hoc uno omne ſtudium impenderit, neruoſque omnes intenderit: uetera iam propemodum collapſa, aliquando inſtaurarentur, atque in priſtinum ſtatum reducerentur. Quid unquam aliud Conciliorum decretis enixa eſt Eccleſia, quam ut quæ antea tepide credebantur, feruentius poſtea, & crederentur, & præſtarentur ab hominibus? Perpetuo enim obſeruauit, quod Spiritus Sanctus iubet per Salomonem. Ne tranſgrediaris terminos quos poſuerunt patres tui. adeo priſcæ illius diſciplinæ obſeruatio neceſſaria eſt: ut nihil potius duxerit Paulus Epiſcopis in oculis ferendum. O Timothee, inquit, depoſitum cuſtodi, deuitans profanas uocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Quis ueſtrum eſt, qui non Timothei perſonam præſe ferat? Vos Patres Sanctiſsimi appello, uos, inquam, hortor & moneo cum Paulo depoſitum cuſtodite. Et quod nam illud? Quod uobis à Deo concreditum eſt, non quod proprio iudicio innititur, quod iam pridem accepiſtis, non

Prouerb. 21.

2. Timoth. 6 d.

quod recens eſt excogitatum. Cuſtodes eſtis doctrinæ & tutores, non auctores, ſectatores, & non primarij duces. Cuſtodite catholicæ fidei talentum, ne modo non pereat, ſed et magno cum fœnore referatur. Quid faciendum, ut depoſitum hoc intactum conſeruare poſsitis? Audite Paulum quam uobis rationem præſcribat. Deuitans, inquit, profanas uocum nouitates, non antiquitates dixit, aut uetuſtates: immo quid è contrario ſequeretur, explicare uoluit. Si namque uitanda eſt nouitas, tenenda eſt antiquitas, et ſi profana eſt nouitas, ſacrata eſt uetuſtas. Et oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ. O quam impudenter doctrinæ nomen uſurpant hæretici, et quod malorum caput eſt, mendaciſsima ſua commenta Euangelium uocant. Væ qui dicitis malum bonum, et tenebras lucem, ignorantiam ſcientiam, caliginem ſerenitatem appellatis. Quid inde incommodi uerendum? Quam quidam, inquit, promittentes circa fidem exciderunt. Quid promittunt? Neſcio quam nouam, inauditamque doctrinam. Videas ex ipſis multos, qui in latebras et ſpecus ſubterraneos ſeſe abdunt, atque miſeram, indoctamque plebeculam ſuis figmentis Euangelicam doctrinam præte-

prætextentes, in errores illiciunt, protrahuntque. O extrema hominum impudentia: ſi homines, non potius dæmones hominum ſaluti inſidiantes ſunt appellandi. Nonne hæ ſunt illius meretricis, de qua Salomon loquitur, uoces: qui eſt ueſtrum inſipientiſsimus, diuertat ad me? Inopes autem exhortatur dicens: Panes occultos libenter attingite, et aquam dulcem furtim bibite. Quid tum? At ille neſcit, inquit, quomodo terrigenæ apud eam pereant. Qui obſecro ſunt terrigenæ? Exponet Paulus qui circa fidem exciderunt. exponet et Ioannes, Qui ex nobis exierunt, ſed non erant ex noſtris, ſi fuiſſent: permanſiſſent utique nobiſcum. En P. S. animaduertitis Paulum breui compendio, pauciſque uerbis complexum, qua ratione priſca Apoſtolorum diſciplina in Eccleſia integra, atque incorrupta conſeruari debeat.

Reſtat iam de tertio, et quarto ueræ Eccleſiæ ſymbolo agamus. quæ quanta potero breuitate explicabo. Tertium erat quo Chriſtus non modo poteſtatem ſuam ad dæmones expellendos, ſed & ſalutem, quam ab ipſo liberati expectare debebant, demonſtrabat. Si in digito Dei eiicio dæmonia, profecto per-

ueniet in uos regnum Dei. Digiti Dei nomi-
ne, Spiritum Sanctum ſignificari manifeſtius
eſt, quam ut demonſtratione aliqua ſit opus:
præcipue cum alius Euangeliſta dicat: Si in
ſpiritu Dei eiicio dæmonia, profecto perueniet
in uos regnum Dei. Elegantiſsima hac Sy-
necbdoche, manifeſtam Dei uirtutem indica-
Exod. cap. 8. ri patet: Vt & in Exodo, digitus Dei eſt hic.
Ea utuntur Hebræi ad amplificandam Dei uir-
tutem, perinde ac ſi dixiſſent: Tam potens
eſt Deus, ut uel ſolo digito omnem huius mun
di potentiam ſuperare poſsit. Oſtendebat ita-
que Chriſtus ſe ſola Spiritus Sancti ui dæmo-
nes expuliſſe. Hæc uirtus unctio illa eſt, qua
Chriſtus fuit copioſiſsime perfuſus, Quemad-
modum ſcriptū eſt, ſpiritus Domini ſuper me,
eo quod unxit me, & alibi: Quem unxit Deus
Spiritu Sancto, & uirtute. nec enim aliud eſt
hoc genus unctionis, quam diuini numinis
præſens auxilium, & cœleſte munus apud ele-
ctos, Dei diuina benignitate collocatum, per
quod P. S. Eccleſiæ gubernaculis eſtis admo-
ti. Nam licet Chriſtus omnibus gloriæ orna-
mentis, & ſummis honoribus fuerit à Deo de-
coratus: non tamen ut ſibi ſoli aſſeruaret, ſed
ut illa omnia poteſtatis atque uirtutis orna-

menta

menta à ſponſo ad ſponſam deuoluerentur, ad illoſque maxime qui in terris uicariam eius po teſtatem et auctoritatem gerunt. Vnde Da- uid: Dilexiſti iuſtitiam, et odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus; Deus tuus oleo læ- titiæ præ conſortibus ſuis. De uobis autem P. S. qui huius unctionis legitimi hæredes eſtis dixerat Ioannes. *Vos* unctionem habetis à Spi ritu Sancto, et noſtis omnia. et paulo inferius unctio quam accepiſtis ab eo manet in uobis, et non neceſſe habetis ut aliquis doceat uos: ſed unctio eius docet uos de omnibus. Hoc ipſum erat quod Chriſtus pollicitus fuerat di- cens. Ego rogabo Patrem, et alium paracle- tum dabit uobis, qui maneat uobiſcum in æter num ſpiritum ueritatis. Et paulo inferius. Pa- racletus autem Spiritus Sanctus quem mittet pater in nomine meo: ille uos docebit omnia et ſuggeret uobis omnia, quæcunque dixi uobis. O fœlix tu ſponſa, cui tanta, tamque præcla- ra contigere bona. Et ò fœlices nos, qui tan- tæ totque cumulatæ muneribus matris filij ſumus. Oſtentent iam ſi uolent Hæretici inſi- gnia illius Spiritus quo gubernantur. Nos Spiritum illum Sanctum ductorem habemus, intus incluſum numen ſentimus, atque tan-

Pſal. 44.

1 Ioan. cap 2. c. & d.

Ioan. 14.

Epheſ. 1. c.

quam pignus hæreditatis nobis ab æterno pro‑miſſæ reſeruamus ut uere gloriari poſsimus nos genus eſſe Dei. Pari etiam ratione Eccle‑ſia certam ſalutis ſpem filijs polliceri poterit cum ſponſo dicente, Si in digito Dei eiicio dæmonia, profecto perueniet in uos regnum Dei. Quaſi dicere uelit, conſolamini, conſo‑lamini popule meus, iam tempus adeſt de quo initio uerba fecimus, quo dæmones digito Dei expellentur, hæreſes extirpabuntur. Digito hoc Dei, ſi quæ hæreſes exoriebantur olim, quam primum opprimebantur. Si qui Eccle‑ſiæ aduerſabantur, è ueſtigio in ordinem redi‑gebantur. Si qui tyrannidem exercebant, ſta‑tim parere cogebantur. Sed dum ego tacitus mecum reuoluo, atque hodiernum Eccleſiæ ſtatum cum priſco illo confero: uidere uideor illam lugentem, ac de priſtino ſtatu quo exci‑dit flebili uoce cum Iob querentem. Quis mi‑

Iob cap. 29. hi tribuat ut ſim iuxta menſes priſtinos, ſecun‑dum dies, quibus Deus cuſtodiebat me, Quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tene‑bris. Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecreto Deus erat in tabernaculo meo. Quando erat omnipotens mecum, & in

circuitu

circuitu meo pueri mei. Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei: quando procedebam ad portam ciuitatis, et in platea parabant cathedram mihi. Videbant me iuuenes et abſcondebantur: et ſenes aſſurgentes ſtabant. Principes ceſſabant loqui, et digitum ſuperponebant ori ſuo. Ac ſi apertius dixiſſet, fœlicem me iudicarem, ſi ad priſtinum illum ſtatum, in quo tantis eram à Deo cumulata muneribus redire daretur. Tunc Deus cuſtodiebat me, adeo ut quanto tyrannus magis inualeſceret, tanto maioribus incrementis fidelium populus increſceret. Tunc lucerna illa diuini oraculi mira uirtute radios undique effundebat ſuos, adeo ut diuino illo lumine illuſtrato terrarum orbe, errorum tenebræ facile diſpellerentur. Tunc Deus in ſecreto cordis tabernaculo deliteſcens ſuos tanta uirtute armarat, ut inimicorum inſtructiſsimas acies, inermes proſternerent, atque profligarent. Tunc infimi & populares butyro & pinguedine diuinæ gratiæ perfundebantur. Tunc uniuerſi ad me tanquam ad aſylum tutiſsimum confugiebant. Tunc iudicia mea ab omnibus ſuſpiciebantur, atque pari omnium conſenſu mihi ſoli iudiciorum cathedra

parabatur. tanto in pretio eram, ut iuuenes ſeſe ad aſpectum meum ſiſtere uererentur, ſeneſque aſſurgentes ſtarent. Principes digito ori ſuperpoſito non loquerentur. Principes in quam, illi Hereticorum anteſignani, de quibus Dauid. Effuſa eſt contentio ſuper principes, & errare fecerunt eos in inuio, & non in uia. auctoritatis meæ pondere ac rationis efficacia pudefacti, loqui ceſſabant. At iam (proh dolor) ad extremam miſeriam redacta ſum. iuuenes inſultant mihi, ſenes deſpectui me habent, iudicia mea contemnuntur. & non modo principes, uerum ſartores, piſtores, laniones, zonarij, aurigæ, nautæ, fex totius populi, in me adeo debachantur impure, ut iudicia ſua, meis præferre non dubitent. ab omnibus uexata, lacerata, atque oppreſſa, extremum iam agere uideor. Quis pulcherrimam illam mulierem amictam ſole, lunamq; ſub pedibus habentem, & ſtellis duodecim coronatam quondam: nunc uero in tantam miſeriam coniectam aſpiciens: non eius uicem doleat, non miſericordia commoueatur, non collachrimetur? Quis quæſo eam in tantas anguſtias adegit? Quæ eius miſeriæ cauſa fuit? Nunquid ne cuſtos ille uigilantiſsimus

Pſal. 166.d.

Apocalip. 12.

mus Deus officio defuit ſuo? aut in medios tempeſtatum fluctus coniectam deſeruit? defuit ne lux Euangelij quæ præluceret? miniſtris ne orbata? Minime gentium. Sed ſpeculatores eius, ut uaticinatus eſt Ieſaias, tantarum *Ieſa. 56.* miſeriarum aliqua ex parte cauſa fuere. cæci namque omnes, neſciuerunt uniuerſi, canes muti non ualentes latrare, uidentes uana, dormientes atque amantes ſomnia, & canes impudentiſsimi neſcierunt ſaturitatem, ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, omnes in uiam ſuam declinauerunt, unuſquiſque ad auaritiam ſuam, (ignoſcite patres Ieſaiæ uerba refero) à ſummo uſque ad nouiſsimum. Venite, aiunt, ſummamus uinum & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie, & cras, & multo amplius. Negligentia igitur & ſocordia paſtorum nimia cum populi licentia coniuncta, in has anguſtias Eccleſiam coniecerunt. Verum enimuero P. S. Sacroſancta Synodus in unum congregata, cum una ſit atque à Deo electa ſponſa, cum apoſtolica ſit, et ſpiritum ſanctum patronum ac ducem habeat: ea hiſce malis omnibus facile mederi poteſt. Et qui huic ueſtro tam inſigni ad pietatem et religionem conatui fauere noluerint, quarto ſymbo-

lo (cuius meminit Euangelium) è gremio pien
tiſsimæ matris Eccleſiæ, excidiſſe iudicate.
Nam qui non eſt uobiſcum, contra uos eſt.
Qui non colligit uobiſcum, diſpergit. Qui
facilius legitimos à ſpurijs, amicos ab hoſti-
bus, catholicos ab hæreticis, diſcernere po-
teſtis? Quare P. S. cum dæmonis ſtudia uobis
iam probè explorata ſint, ne committite quæ-
ſo, ut qui tot laboribus exantlatis, tot ſum-
ptibus factis, uitam ipſam qua nihil carius ho-
mini eſſe poteſt, tot periculis & diſcriminibus
expoſuiſtis, re infecta diſcedatis. Patiemini
Patres Dei Eccleſiam unicam Chriſti ſpon-
ſam, Apoſtolorum ædificium, Spiritus San-
cti domicilium, communem omnium matrem
ueſtro auxilio deſtitutam, perire? Nihil hic
præter conſenſionem inter uos deſiderari po-
teſt, iam arma inter Reges Chriſtianos ſilent,
adeo ut oculis conſpiciamus Deum uobis hæc
otia feciſſe, ut tranquillius et citius religionis
diſsidia componeretis. adeſt conuentus am-
pliſsimus, Principum, Regum, Ducum, Rerum
pub. par conſenſus, et conſpiratio. ueſtris
humeris tota religionis moles innititur. om-
nes in uobis tanquam in ſacra anchora, ſalu-
tem ſuam defixam habent. Quod ſi minus
(quod

(quod Deus omen auertat) ſucceſſerit, quan-
tis(proh dolor) periculis Eccleſiam expoſitam
relinquetis. Hæretici pro palinodia, trium-
phum agentes: in errore priſtino animos ob-
firmabunt. Nutantes in fide, et qui uelut
arundines uento agitatæ, in hanc et illam par-
tem inclinant: ad Hæreticorum mox caſtra
confugient. Catholici, et qui in Eccleſiæ Ro-
manæ fide conſtanti animo perſeueramus, ue-
ſtro deſtituti ſubſidio, quo nos recipiemus?
Omnium abiectiſsimi Barbarorum et Hæreti-
corum incurſus cogemur perpeti. ueſtro to-
tiuſque Eccleſiæ honori, et utilitati (quod fa-
cere inſtituiſtis) conſulite, ignominiam ordi-
ni ueſtro inuſtam eluite, et quæ paulatim ir-
repſerunt uitia, diligentia ueſtra ſuperate, ut
Eccleſia priſtino candori reſtituta, cœleſtem
illam Hieruſalem referat, ad quam nos dedu-
cat Deus Opt. Max. Amen.

DIXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE